

1258, juliol, 8

*Sentència arbitral de Guillem Gaufred, prevere del capítol de Girona, en causa entre Ermessenda de Darnius, piatera de Sant Daniel, i Berenguer de Puigalt, cambrer del monestir de Cuixà sobre una alberga a rebre a Riudellots de la Selva.*

ASD núm. 180, perg. orig., 295 x 230 mm, carta partida.

Cum contencio uerteretur inter dominam Ermesendem de Darnicibus piateriam monasterii Sancti Danielis ciuitatis Gerunde et abbatissam et conuentum eiusdem agentem ex una parte, et fratrem Berengarium de Podioalto, camerarium monasterii Sancti Michaelis de Chuxano, nomine suo et nomine procuratorio abbatis iamdicti monasterii se defendantem, super quadam alberga quam dicta piateria dicebat se debere accipere ex donatione facta ab Elicsende de Uillademago quondam in omnibus honoribus et possessionibus et mansis, que omnia monasterium de Chuxano habet in parrochia Sancti Stephani de Riuolotorum de Silua diocesis Gerundensis, et super partem quam dicebat dicta piateria se debere accipere in terciis, laudismiis et aliis forischapiis ibi euenientibus ratione transaccionis inter dictam Elicsendem et abbatem Cuxani uocatum Arnallum quam dicebat dicta piateria interuenisse, et super hoc diu litigassent, tandem compromiserunt in manu et posse Guilielmi Gaufredi, presbiteri de capitulo Gerundensi existenti, tamquam in arbitrum siue arbitratorem et amicabilem compositorem electum a partibus sub pena .cc. solidorum ab utraque partium stipulata, quod quicquid ipse diceret seu arbitraret inter eas, utraque pars sub predicta pena ratum et firmum haberet, et si aliqua parcum inobediret dicto et arbitrio dicti Guilielmi Gaufredi amitteret penam predictam que [darentur] parti parenti a parte non parente. Qui Guilielmus Gaufredi, uisis et auditis iuribus et rationibus utriusque partis, arbitrando et amicabiliter componendo pro bono pacis dixit inter eos quod semper dicta piateria et abbatissa et conuentus eiusdem habeant et accipient predictam albergam, scilicet octo fogacias et duos panes ordeaceos et duos solidos monete de quaterna pro carnibus porcinis et duodecim denarios eiusdem monete pro ariete et unam eiminam uini et unam squillatam cibarie et pro questia quatuor solidos iamdicte monete et .1. anserem et unam migreriam bladi ad mensuram Monellorum et unam squillatam frumenti et duas squillatas bladi ad rectam mensuram Gerunde similiter pro questia, que omnia iamdicta piateria et abbatissa et conuentus possint singulis annis in festo Sancti Michaelis habere et accipere in manso de Prato qui est in paroecchia Sancti Stephani de Riuolotorum de Silua et in honoribus et possessionibus ac expletis eiusdem et a tenetoribus siue possessoribus eiusdem petere et demandare, uel eisdem si necesse fuerit propria auctoritate pignorare sine licentia camerarii, abbatis et conuentus de Chuxano, et quod nohil aliud possint petere uel demandare, emparare uel impedire in dicto manso et eius honoribus ratione domini et proprietatis uel alia racione. Item dixit arbitrando

inter eos quod ab hodierna die in dona (sic) predicta piateria, abbatissa et conuentus non petant uel demandent aliquid in aliquibus honoribus, possessionibus, mansis et bordis que dictum monasterium de Chuxano habet in predicta parrochia de Riuolotorum racione dicte alberge uel questie uel racione terciorum, laudimiorum uvl censuum, uel racione iusticiarum, exorchiarum, homicidiorum, ingressuum uel exituum hominum uel aliorum prouentuum uel aliqua alia ratione nisi tantum in iamdicto manso de Prato in quo et in possessionibus siue a possessoribus eiusdem uel(sic) possint accipere, petere uel demandare, exceptis hiis que superius exprimuntur. Et ego Ermessendis de Darnicibus, dicta piateria, assensu et uoluntate domine Berengarie, abbatisse Sancti Danielis et conuentus eiusdem et ego frater Berengarius de Podioalto, iamdictus camerarius, laudamus et concedimus, aprobamus et confirmamus omnia supradicta, promittentes sub pena predicta predicta omnia uniuersa et singula bona et firma habere et obseruare et numquam contrauenire causa aliqua uel etiam racione.

Actum est hoc .VIII. idus iulii anno Domini .MCCL. octauo

Sig+num Ermessendis de Darnicibus, piaterie predicte, qui hoc firmo et laudo. Sig+num Gauberti, abbatis Sancti Michahelis de Cuxano, qui hoc laudo\*. Sig+num Berengarii de Podioalto, camerarii sancti Michaelis de Cuxano\*. Sig+num Guilielmi Gaufredi\*. Testes huius rei sunt Arnallus Riboti, clericus Sancti Danielis, Guilielmus Gintellatus de Gerunda et Petrus de Plano, de Riuolotorum.

(s. man.) Petrus de Armenteria scripsi mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 375-376